
UNIVERSITY of MICHIGAN
GENERAL LIBRARY
OCTAVIA WILLIAMS BATES
BEQUEST

PETRI PAULI

VERGERII SENIORIS

De D. Hieronymo

OPUSCULA

NUNC PRIMUM EDIDIT E MSS.

DOMINICUS MAURUS SALMASO,

Adjecta sua de ejusdem D. Hieronymi studiis oratione.



PATAVII, MDCCLXVII.

EX TYPOGRAPHIA VULPIANA

SUPERIORUM PERMISSU.

Bates

Olschki

10-9-24

10694

RAYNALDO
DE RIO
COMITI, PATRITIO PATAVINO

DOMINICUS MAURUS SALMASO
S.

D*O, dedicoque Tibi, Vir nobilissime, libellum hunc, quo duæ de D. Hieronymo oratiunculæ continentur. Altera est Petri Pauli*

Vergerii, quæ nunquam hactenus lucem vidit: altera mea, quæ nunquam visura fuisset, nisi ab illa nunc, velut invita, educeretur. Utraque tamen prodit, satis confirmata spe præsidii ac favoris tui, cujus ego nomini utramque potissimum debeo. Sentio enim me Tibi obstrictum devictumque, scilicet jam usque ab Avo tuo præstantissimo, Hieronymo Docto de Daulis, qui pro sua animi magnitudine semper me, meosque singulari quadam benevolentia complexus est, omnique beneficio-

rum

rum genere auxit & cumulavit . Ejus tu veſtigiis inſiſtens eundem in nos morem conſtanter geris ; pergiſque habere inter tuos , quos Ille ſibi amandos fovendóſque ſuſceperat . Ad hanc laudem te nimirum inſtruxit lectiſſima atque optima fœmina , mater tua , Angela , quæ , ut jure hæreditario bona , ita maxime ſtuduit , ut eximias Illius virtutes in Vos Fratres exemplis inſtitutiſque ſuis derivaret . Facis tu quidem pro familiæ tuæ conſuetudine , ut liberaliter alios ac beneſice excipias : ego pro

officio

officio meo ; ut ab omnibus gratus erga te fuisse cognoscar. Nam munusculum, quod affero, licet id per se sit exiguum & levidense crasso filo, non tamen dubito, quin argumento ipso tibi magnopere commendetur. Ardes enim incredibili quodam amore cum in studia omnia, tum præsertim, ut virum Ecclesiasticum decet, in Sanctos Patres, sacrosque Scriptores omnes, quorum ingentia volumina undique magna impensa conquiris. Hinc illa domi tuæ tibi exsurgit mirifica Bibliotheca, omnium

præ-

præterea instructa libris tum veterum, tum recentium Auctorum, qui in quolibet artium scientiarumque genere cum laude scripserunt. Omnia sunt in illa splendida & magnifica; librorum delectus, voluminum copia, typorum elegantia, plutei ipsi præclaro opere summoque artificio confecti. Illud tamen splendidissimum & magnificentissimum, quod eandem non ad ornamentum parietum, sed ad animi cultum & eruditionem tibi & amicis tuis comparatam esse voluisti. Sit, quæso, in illa aliquis & huic libello lo-

cus;

cus : hoc enim est, Vir spectatissime, quod ego jam diu atque unice opto, ut aliquod tandem monimentum apud te extet, mihi in te ornando remunerandoque vires & ingenium, non animum certe aut voluntatem defuisse. Vale.

Patavio XIV. Kal. Martias.

DE

DE CODICE EPISTOLARUM

P. P. VERGERII

BRUNATIUS SALMASIO SUO.

HAbes hæc a me, Salmaſi; plura quidem quam popoſceras: ex codice non bonæ ſcriptionis, aut doctę manus. Ego alia atque alia inter exſcribendum emendavi: nonnulla tibi reſervans, aut Rubeo noſtro, municipi meo: ut is hæc demum

extorſit. Nam nec ceſſeram antea Bronturæ; quem tuis etiam litteris incitaveras. At hic me magis amat, quam vos facitis; implicatumque ſatis aliis officiis ab hoc abſolvit. Vos nunc eo homine inverecundiores ita obtinuiſtis: hoc enim evenire ſolet, ut negata modeſtis amicis immodeſti captent. Incommodo rerum mearum vobis abunde feciſtis. Si me tamen amare pergitis, amor utriuſque veſtrum ex hac parte damnum meum reſarciet. Equidem plurimus ego librorum his diebus ab Italia, Sicilia, Germania: qui dono mittebantur omnes. Hinc additum ceteris & illud in hoc tempore, tra-

ctandi

ctandi potius egregios amicos, eos, a quibus in hunc modum honestabar: ex eoque scribendæ mihi plures epistolæ, nec breves, homini, ut nostis, admodum grato sponte mea. Vos hoc mihi præterea studium suspenditis: adeo me naturamque meam adversum me flexistis. Quod si valde feceritis, videte, ne malo more vertat amor quoque noster: etsi videtur & is in naturam quasi cessisse mihi, credo, ea consuetudine vos amandi. Valete chari sodales: & meum hunc Vergerium non tam valere, quam vivere munere vestro facite.

Patavio x. Kal. Mart.

EX CODICE EPISTOLARUM

PETRI PAULI VERGERII

Ipsius Auctoris aetate scripto apud Joannem Brunatium.

. . . . Incursus putet quis adhaerere posse Deo , tractando quae mundi sunt. Quando Hieronymus , relicto mundo , omnique occupatione mundana a se abducta , tanta vi abstrahebatur a Deo . Ipse autem mortificando carnem & calcando mundum , se ipsum exinaniens, in humilitate spiritus cuncta superabat . Qui tantae hu-

humilitatis fuit atque modeſtiæ, ut, cum, mortuo Libero Papa, a cunctis dignus ſummo Sacerdotio duceretur ac crederetur, ipſe ſe vix dignum monaſterio judicaret. Non multo poſt ex presbitero Urbis Romæ heremi monachum ſe fecit. Sciebat enim, quempiam non poſſe Deo placere ſibi ipſi placendo; nec magnum fieri apud Deum poſſe, niſi in propriis oculis parvus fieret. Itaque cum & doctiſſimus eſſet, ac doctor plane ab omnibus haberetur, tamen denuo cæpit eſſe diſcipulus; ac tamdiu diſcere voluit, donec inveniret qui docere ſe poſſet: non enim quod aderat, ſed quod deerat ſedulo co-

gitabat : ideoque & vita & doctrina summus evasit : multisque propterea ac pœne innumerabilibus & in vita & post mortem miraculis claruit ; quæ nedum explicare, sed nec vel attingere facile quisque posset : ut plane liqueat quam acceptus sit is Deo, per quem tot miracula facta sunt, tot beneficia tantæque gratiæ populis conferuntur. Ejus igitur precibus ac meritis detur nobis ita innocenter ac sancte in hoc mundo vivere, ut post mortem ad ipsius consortium pertingere, & cum eo in æternum vivere mereamur ; præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritu Sancto

cto vivit & regnat per infinita sæcula benedictus.

Ex eodem Codice.

Hodie mihi, fratres carissimi, pro more institutoque meo vetere habendus est ad vos sermo de laudibus Sancti Hieronymi, ad quem digne laudandum tantum vellem mihi suppetere dicendi facultatem, quanta subest illi copia meritorum: meque eum tam eximie laudare posse, quam cupio: in altero enim sactisfactum est illius dignitati, in altero voluntati meæ. Sed contra nescio quo modo in his rebus quam in cæteris evenit, ut, cum est de laudibus alicujus dicendum, quo major ex-

tat laudum copia; eo minor sit semper bene laudandi facultas: sic opinor, quod *multitudine rerum dicendarum majestate rerum* dicendarum, aut multitudine meritorum premitur vis dicentis. Nam illud quidem commune est in omnibus, nunquam satis videri a se factum, aut fieri posse satis, quod magno quis cum desiderio facit. Longe lateque superexcedit ingenioli mei studium Hieronymi laudum immensitas; quantumque devotione animus ad dicendum impellitur, tantum admiratione retardatur: nescit enim initium invenire, dum videt sibi non patere exitum: dumque se in terrenis metitur, despe-

rat

rat prorsus digne commendari posse cælestia. Nam si de mundanorum hominum laudibus dicturis hoc evenit, ut non satis dicere posse videantur, quanto magis enarraturo hujus sancti præconia: qui virtute & meritis gloriosis Christianam fidem & Ecclesiam Catholicam illustravit. Solent autem in mundanis laudibus celebrari certamina, victoriæ, triumphi, & cætera hujuscemodi, quæ profecto multo excellentius alio quodam modo in Sanctis Dei veniunt prędicanda. Tres sunt enim hostes & gravissimi atque infestissimi, qui dies atque noctes mentem studentem placere Deo impugnant; mun-

dus

dus per potentiam, caro per blanditias, demon cum insidiis: mundus opum magnificentia, honorum fulgore aciem mentis obruit: & dum reges ac populos a se victos ostentat, intelligi vult, nemini jam turpe esse cum vincitur. Caro voluptatibus atque deliciis robur animi enervare contendit: & ut vinci se patiatur, dulcia cuncta promittit. Demon vero fraudum omnium artifex instructissimus mille quotidie retia tendit, mille subnectit laqueos, quibus animas Deo devotas apprehendat. Age nunc, comparentur, si placet, hæ pugnæ animi cum illis, quæ manu ferroque geruntur. In illis enim indu-

ciæ nonnunquam interveniunt: & post bellum pax tranquilla subsequitur: in istis autem sine fine pugnatur: non mora datur, aut requies: nec hora aut momentum ullum est vacuum. In illis plurimum adverso invicem pectore decertatur, & facie ad faciem: in his undique impugnatur homo ex nulla parte securus: in illis videri licet tela, a quibus præcaveri oportet; hic autem, veluti in nocte, tectum est certamen & pugna incerta; cum hostis invisibilis mentem impugnat. Verum conferantur nunc & victoriæ. Si enim magnum est urbem aliquam aut regnum unum mundi vincere,

quanto

quanto majus est mundum ipsum superare ? Nam plane vincit is mundum, qui despicit omne quod est in eo ; nec se permittit aut ambitione honorum , aut opum cupiditate detineri . Vincere vero carnes , & dulces Sirenum cantus surda aure præterire, quid est aliud quam seipsum vincere , & sensui rationem præferre ? quod genus pulcherrimum est victoriæ . Quam vero feram sævissimam , aut quod monstrum immanissimum gloriosius est vincere , quam dæmonis artes eludere ? ipsiusque tendicula illæso pede pertransire ? Ab his autem qualiter fuerit in vita præsenti vexatus gloriosus iste sanctus, & qua-

liter

liter hujusmodi pugnas cum Dei adjutorio fortiter vicerit, minime arroganter de se ipse scribit in epistola ad Eustochium: quod quoniam elegantius aliter dici non posset, ejus ipsius verba subjiciantur. „O quoties „ inquit, ego
„ ipse in eremo constitutus, & in
„ illa vasta solitudine, quæ exusta
„ solis ardoribus horridum mona-
„ chis præstat habitaculum, puta-
„ bam me Romanis interesse deli-
„ ciis! Sedebam solus, quia ama-
„ ritudine repletus eram. Horre-
„ bant sacco membra deformia,
„ & squallida cutis situm Æthio-
„ picæ carnis obduxerat. Quoti-
„ die lacrimæ, quotidie gemitus,

„ &

„ &, si quando repugnantem som-
„ nus imminens oppressisset, nuda
„ humo, vix ossa hærentia colli-
„ debam. De cibis vero, & potu
„ taceo, cum etiam languentes
„ aqua frigida utantur, & coctum
„ aliquid accepisse luxuria sit. Ille
„ igitur ego, qui ob gehennæ me-
„ tum tali me carcere ipse dam-
„ naveram, scorpionum tantum
„ socius, & ferarum, sæpe choris
„ intereram puellarum. Pallebant
„ ora jejuniis, & mens desideriis
„ æstuabat in frigido corpore, &
„ ante hominem suum, jam car-
„ ne præmortua, sola libidinum
„ incendia bulliebant. Itaque om-
„ ni auxilio destitutus, ad Jesu

„ jacebam pedes, rigabam lachri-
„ mis, crine tergebam, & repu-
„ gnantem carnem hebdomadarum
„ inedia ſubjugabam. Non depu-
„ deſco infelicitatis meæ, quin po-
„ tius plango, me non eſſe quod
„ fuerim. Memini me clamantem
„ diem crebro junxiſſe cum nocte,
„ nec prius a pectoris ceſſaſſe ver-
„ beribus, quam rediret, Domi-
„ no increpante, tranquillitas.
„ Ipſam quoque cellulam meam
„ quaſi cogitationum mearum con-
„ ſciam pertimeſcebam, & mihi-
„ met iratus & rigidus, ſolus de-
„ ſerta penetrabam. Sicubi conca-
„ va vallium, aſpera montium,
„ rupium prærupta cernebam, ibi

„ meæ

„ meæ orationis locum ; ibi illud
„ miſerrimæ carnis ergaſtulum „
„ &, ut ipſe mihi teſtis eſt Do-
„ minus, poſt multas lachrymas,
„ poſt cœlo inhærentes oculos,
„ nonnunquam videbar mihi inter-
„ eſſe agminibus Angelorum, &
„ lætus gaudenſque cantabam: Poſt
„ te in odorem unguentorum tuo-
„ rum curremus „. Hæc autem tantilla narratio ſcientibus multa ex paucis intelligere ſatis ſit. De peritia vero litterarum, quæ & ipſa laus hominis ſancti eſt, quid dicam? cum maxime in ſcripturis ſacris eum ita doctum fuiſſe conſtet, ut in proverbium deductum ſit, nullum hominum ſciviſſe, quod Hie-

Hieronymus ignoravit. Nec fuit, ut in plerisque, ociosa in hoc homine tanta doctrina. Multa enim; & per se scripsit; & aliorum multa interpretatus est, trium linguarum eruditissimus, Hebraice, Græce, & Latine. Obscura quoque Sacræ Scripturę permulta ac magna volumina commentatus est: ut non modo variis nationibus, sed rudioribus quoque ingeniis fundamenta fidei innotescere possent. De moribus vero dici hoc potest: quod tota ejus vita exemplum bene vivendi fuit: maledicos bene vivendo confudit: persequentes secedendo superavit: sibi parcus, cæteris largus: tam

mitis in alios, ut & feras mansuefaceret: & in se tam austerus, ut vix in hostem quis eadem pateretur. Non mirum igitur, si tantis dotibus præditus, atque ita in terris vexatus, nunc coronatus triumphat in cęlis: dignum prępmium tot certaminum tantarumque virtutum consecutus, quibus propemodum dici potest, eum intulisse vim cœlo. Cujus rei argumentum est, quod & in vita & post mortem ita miraculis claruit, ut miraculum permagnum sit, eum tot & tanta operatum esse miracula. Ipse igitur, cujus diem solemnem agimus, a rege regum & donatore omnium Deo, cui in illo cœlorum regno

sem-

ſemper aſſiſtit, nobis imploret, ut in prȩſenti gratiam ſæculo, & in futuro gloriam concedat. Ad quam nos perducat ipſe Dei filius: qui cum patre & Spiritu Sancto vivit & regnat per infinita ſæcula benedictus.

Ex eodem Codice.

. . . . . . Incertum erat, de mandato ſummi pontificis, qui tunc eccleſiæ prȩerat, ordinavit: omelias, ſermones, epiſtolas, & libros edidit: omne denique tempus vitæ in ſacris ſtudiis ſcientiarum virtutumque conſumpſit. Quamobrem & vivus & mortuus infinitis miraculis claruit. Quæ omnia quoniam exarare non poſſum propter eorum

multitudinem, & temporis brevitatem superſedeo invitus modo: & omitto reſuſcitatos mortuos, ſanatos ægros, defenſum ab infamia & *errorem ſilvani ligneni pactum hereticum*: cuſtoditos a morte & inſidiis peregrinos; latrones converſos; protectos eos qui in ſe fidem & devotionem haberent. Hæc omnia cum omittam, unicum ejus miraculum retexam: & poſt, dicendi finem faciam. Mortuo hoc glorioſo ſancto, & corpore ejus in Bethelem ſepulto, quemadmodum tanta ſanctitas exactæ vitæ requirebat, innumerabilibus miraculis memoria ſanctitatis ejus clareſcebat in dies. Quapropter divulgatis his per

uni-

universum orbem, sicut plurimi aliarum gentium, sic duo Constantinopolitani juvenes, infideles tamen & Christianæ religionis ignari ad hæc videnda miracula, quæ undequaque prædicabantur, ire disponunt: Constantinopoli discedunt; & Alexandriam veniunt; pedestre iter inde facturi. A qua cum discederent, ignoratione viarum & ductorum inopia, in obscurum & periculosum nemus introeunt: ubi dux quidam prædonum cum plurima comitiva latebat in specula. Quos ille cum vidisset errantes, misit protinus quosdam ex suis, qui eos prædarentur & vita privarent. Illi mandato sui ducis obse-

quentes, ad hos veniunt: cumque proximi fiunt, videtur eis fortium armatorum *turbam* præeunte duce procedere: ob quam territi ad ſuos ire diſponunt. Cumque aliquanto ſe elungaſſent, iterum illos eſſe duos judicant; & tamquam falſo illuſi ad exequendum iniquum propoſitum iter faciunt. Cumque adhuc appropinquarent, priore imagine territi, ad ducem ſuum divertunt narrantes ſingula. Dux tamquam ignavos redarguens, majori numero alios deſtinat ad hoc opus: quibus & idem miſſis accidit. Quare & ipſe demum ire conſtituit. Ut primum vera eſſe cognovit, tum demum depoſito nocen-

di

di animo, ob tale miraculum, ad peregrinos sese convertit: qui subito bini apparuerunt solum: sciscitatusque an ullos in illa solitudine vidissent; & quo tenderent, subintulerunt, postquam a via aberrassent, præter eos vidisse neminem: & Hieronymi fama perciti ad ejus visitandum sepulchrum in Bethelem tendere. Quibus auditis, illi in intimo cordis compuncti priorem vitam deponere; & una beati Hieronymi sepulchrum visitare contendunt: venientesque in Bethelem isti baptizati sunt, illi claustra & heremum subjerunt. Si igitur hic gloriosus sanctus in gentiles & nepharios homines tam

pronus, tamque beneficus extitit; quanto magis in Chriſtianos & vere Catholicos, ſi nomen ſuum venerabuntur, exiſtet? Suis ergo meritis & precibus pro nobis imploret, ut in hoc mundo bene viventes per gratiam, in futuro gaudeamus per gloriam. Ad quam nos &c.

EX CODICE EPISTOLARUM

VERGERII SENIORIS

ejus ætate scripto.

PETRUS PAULUS VERGERIUS VERGERIO DE VERGERIIS GENITORI SUO.

NOn est de qua re jocundius agere tecum hodie possim, quam ut invicem laudes & merita D. Hieronymi cujus hæc dies natalis adest, recognoscamus. Vellem dignos ei pro sanctitate vitæ ac plenitudine meritorum titulos posse reddere; sed exuperant res orationem meam; nec orationem tan-

tantum ; imo vero & conceptum; tantumque abest, ut explicare digne possim quæ de magnitudine ejus virtutis concipio, quantum ut plene concipiam quæ magnifica de eo sunt. Et quidem quod ad fidei nostræ religionem attinet, si sanctos omnes percurrimus, quorum celebre nomen est, paucos inveniemus; qui aut merito virtutis, aut cognitione litterarum *attingerint*, neminem certe, ut ego arbitror; qui excesserit. Si enim soliditatem fidei, speique certitudinem in eo quærimus, nihil est *supra*. Si caritatis fervorem; nemo illo flagrantior: prædicando fuit apostolus; evangelista scribendo:

do: heremita loco. Ac si martires ex tormentis metiamur, per omnem vitam martir exstitit. Doctor non solum verbo, set exemplo: nec minus vita clarus quam sermone. Illud enim est optimum doctrinæ genus, ut quod ore quis faciendum monet, vita exemploque suo comprobet. In qua re parum curiosi mihi prædicatores nostri temporis videntur, quibus omne in benedicendo studium est, in benefaciendo nullum: quasi vero in fide, de eloquentia, non de oratione vitæ contendatur: aut *orationibus*, *oratoribus*, *ne bonis* atque sanctis viris celum pateat. Qui ergo recte docet, & ita

vivit

vivit ut docet, vere ille doctor est: qui aliter, mendax: & se ipsum sententia sua condemnans. Hieronymi libros aut epistolas lege, plena sunt omnia sanctissimis documentis. Vitam intuere; doctrinam omnem excesseris: quasi facilius ei facere, quam dicere fuerit. Quid enim de abstinentia & continentia dicemus; quid de humanitate, quid de patientia, quid de persecutionibus emulorum, de hereticorum rebellione; ut illos fortiter tulerit, hos fortius obtuderit? Quid de laboribus heremi, de peregrinationum difficultate; ceterisque, quorum omnium longa memoria est. Statuisse enim

sibimet

ſibimet videtur, nihil fugere, dum mundum & inſidias ejus refugeret. Hic neſcio quantum mihi conveniat ſanctum hominem tam exquiſite laudare, quaſi videa tur laudes ejus complecti ſermone poſſe: aut ſuperum laudes non ſupra omnem ſermonem omniumque ingenium noſtrum ſint. Set devotione adducor, ut ita dicam: ſimulque ut tibi pro caritate tua & affectione morem geram. Ut enim nihil ego avidius dicere, ita & tu audire nihil jocundius potes. Dixi alias de hac ipſa re in conventu multitudinis: non quidem, ut mihi laudem, ſet ut apud omnes homines gloriam & devotionem

ſancto quærerem . Nunc tu mihi ſolus pro multitudine es , & eo quidem acceptior auditor , quod ſcio nihil dicere me poſſe de Hieronymi laudibus , quod non magnopere probes . Set hæc hactenus : ut neque neglexiſſe omnia , neque complecti ſingula voluiſſe videamur . Vale. Padue prid. Cal. Octob. 1396.

DE D. HIERONYMI STUDIIS

ORATIO.

ECce me * iterum coram vobis, Patres doctissimi; idque lubentius facio, quam primum, quod tunc in hunc locum ascendi, ut vestros animos contristarem, & ingens vestri ordinis decus ex omnium oculis repente sublatum vobiscum ipse lugerem: nunc vero, mutata causa, huc accedo, ut gaudium lætitiamque

que

* Habuit Auctor aliam ad eosdem Theologos orationem in funere Reverendiss. P. Jacobi Mora, Ordinis Prædicatorum, in hoc Gymnasio publici Theologiæ Professoris.

que afferam, & aures veſtras detineam immortalis illius viri laudibus, quem toti veſtro Collegio merito patronum defenſoremque conſtituiſtis. Quod quidem cum a vobis prudenter ſapienterque factum eſt, tum illud etiam grate admodum ac pie apud eoſdem obtinuit, ut, quem vobis patronum ſemel delegeritis, eidem quotannis hoc veluti munus perſolvatis, ejùſque nunquam intermorituram memoriam tum concentibus muſicis, tum alicujus voce oratoris, præterea omnium veſtrum facto concurſu, celebrandam putetis. Gratulor ego vobis, Patres ornatiſſimi, hoc veſtrum conſilium,
quod

quod ſive hujuſce Collegii decreto captum, ſive receptum ex peculiari alicujus in Hieronymum ſtudio, ſive qua alia ratione conceptum, nunquam tamen aut abjectum, aut intermiſſum, & omni prorſus commendatione digniſſimum eſt, & , inter cætera, confirmatur ejus exemplo, qui aliquando fuit hujuſce Archi-gymnaſii decus & ornamentum, Petri Pauli Vergerii, cujus tanta extitit in D. Hieronymum pietas, tanta religio, ut hunc illi debitum diem quotannis eleganti oratione ſignare ſolitus fuerit. Verum, quod hodie me potiſſimum ſuarum laudum præconem eſſe vo-

luiſtis, etſi nihil mihi gratius & honorificentius accidere poterat, quam ut ab * eo, qui ſedet veſtri ordinis princeps, & deſignarer, & in eum locum ſufficerer; qui ſemper antea honeſtiſſimis hominibus patuit, tamen, dum & infirmitatem ingenii mei, & amplitudinem ipſius argumenti, & ſplendidiſſimam hanc virorum doctiſſimorum coronam intueor, ſentio me magnopere commoveri, illudque jure timere, ut tantæ hujuſce diei celebritati pro voluntate omnium ſatisfacere dicendo poſſim. Ut ut tamen ceſſura res ſit, non ani-

* Erat tunc Collegii, uti vocant, Decanus *Joſeph Gennari*, vir omni litterarum genere inſignis.

animum idcirco deſpondeo; & alacriter perſequens, quod hæſitando ſuſcepi, cauſam ipſam aggredior, de D. Hieronymi ſtudiis breviter pertractaturus. Equidem rem ago, certe non injucundam, vobis autem, uti ſpero, in primis accommodatam, ſi, quemadmodum præteritis annis ex immenſo illius virtutum cumulo ſemper aliquid deſumendum putaſtis, quod imitaremini, ita hodierna luce deprehendatis ejuſdem exemplo, quænam litterarum & artium ſtudia, & qua ratione ſuſcipienda ſint ab Eccleſiaſtico homine, qui ex officio maximam in iis vitæ partem occupare debet.

Quicunque artem aliquam, aut facultatem amplectitur tota deinceps vita profitendam, equidem nescio, an, etiam ante ingenium & voluntatem, illi ad institutionem suam sit expetendus præceptor optimus & peritus, qui subsequenti facem præferat exemplo suo, eumque per itinera jam sibi cognita & explorata ad eum finem quo intendit, tuto feliciterque deducat. Quod si id ita verum & constans est, ut de futuro cujusque profectu inde maxime conjici liceat, eoque lætiorem doctrinæ segetem sit is percepturus, cui nobiliorem vel ratio dederit, vel fortuna magistrum obtulerit, quemnam

ego iis, qui se Ecclesiæ addixerunt, præstantiorem ducem, quamnam studiorum suorum certiorem normam ad imitandum proponam, quam Divum Hieronymum, eum; inquam, Hieronymum, qui Ecclesiasticam vitæ rationem ita cum studiorum disciplina conjunxit, ut rei utriusque tanquam perfectissimum exemplum omnibus ad imitandum Ecclesia ipsa proposuerit? Non omnibus huc contendentibus fortasse continget, ut eandem cum Hieronymo eruditionis doctrinæque laudem assequantur: sentient tamen se non mediocriter provehi & promoveri, si tanti viri vestigiis insistant, & eam, qua is antecessit,

ſit, viam conſtanter atque arcte perſequantur. Quinam igitur in hanc viam primus eſſe debet veluti ingreſſus? ſcilicet is, ut in primis ſibi quiſque ſic perſuadeat, cæterarum rerum cogitatione poſthabita, concupiendam & quærendam eſſe ſummo ſtudio atque ardore eam ſcientiam, quam aliquando conſequi velit. Id jamdiu facto ſuo nos admonuit Hieronymus, qui, ut primum exceſſit ex pueris, licet eſſet domi ſuæ nobilis & opulentus, tamen, quod & parentum blanditiæ, & patria ipſa minus apta ad ſtudia immenſæ ejus diſcendi cupiditati officere viderentur, cariſſima quæque ac dul-

dulcissima magno animo & excelso contempsit, & in doctrinæ acquisitionem unice intentus, se Romam continuo contulit, ubi artes ac scientiæ magnopere ea tempestate florebant. Hic vero Grammaticam primum a Donato doctus, tum eloquentiæ pulchritudine illectus, Petro Victorino, qui rhetoricam artem profitebatur, in disciplinam se dedit; in eaque, qua aliquid ipse scribendo, qua disertissimos oratores audiendo, brevi adeo profecit, ut adhuc adolescens eloquentissimus haberetur. Magnus sane atque immensus ejus debuit esse discendi ardor, quem neque puerilis ætas, quæ sanguinis

effervescentis æstu rapitur plerumque in diversa, neque aliorum discipulorum consuetudo, quæ vel nolentem sæpe a proposito avocat, neque ipsius Romanæ urbis strepitus & magnificentia non solum non extinxit, aut imminuit, sed vehementius in dies exacuit, atque auxit. Jam enim, ubi eloquentiæ provinciam peragravit, & eos inde fructus percepit, qui adhuc in ejus scriptis uberrimi vigent, inflammatus pari animi ardore se se transtulit ad philosophos, & ab eorum adytis non prius sibi discedendum putavit, quam omnia Aristotelis, Platonis, Zenonis, aliorumque dogmata penitus percepisset.

ſet . Huc illi pertinent improbi labores , quos exantlavit : huc graviſſimæ difficultates , quas exſorbuit : huc illæ vigiliæ , quas ad multam noctem traduxit ; cum * *tenenti codicem ſomnus obreperet , & cadentem faciem pagina ſæpe ſuſciperet* . Sed nimirum tantus erat in Hieronymo litterarum ac ſcientiæ amor , ut non eum inde divelleret capiendi cibi potuſque neceſſitas , cujus ſæpiſſime obliviſcebatur : non ludi , & ſpectacula , quæ identidem tota urbe agitabantur : non ipſa denique morborum ingruentium vis , quibus aliquando , ipſo teſte , ita extabuit , ut *oſſibus vix hære-*

* D. Hierony.

hæreret. Nam quid ego commemorem ea, quæ ſtudiorum cauſa ſæpius ſuſcepit itinera laborum & incommodorum pleniſſima? Miramur, quoties aut audimus, aut legimus, Pythagoram, Platonem, Apollonium Thianæum, alioſque antiquitatis philoſophos, ita fuiſſe diſcendi ſtudio incitatos, ut, relicta patria, ad ægyptum uſque diſcendi gratia perrexerint. Quid, quæſo, dicendum erit de Hieronymo, qui, ætate adhuc non ſatis firma, Roma abſcedens, Aquilejam primum, tum in Gallias contendit: ac rurſus Aquilejam reverſus, inde e littore ſolvens, poſtquam diu multumque

ſui

ſui ipſius incertus erravit, totamque Thraciam, Pontum, Bythiniam, Cappadociam, Ciliciam, qua maris fluctibus agitatus, qua ſolis fervore torridus, peragravit, tandem in Syriam, velut fidiſſimum naufrago portum, delapſus eſt? Deducebat hominem in has orbis partes tam varias, alias librorum comparandorum ſtudium, alias deſiderium adeundi, quos audierat doctrinæ laude præſtantes, ſemper vero inſitus cognitionum undique conquirendarum ardor, qui nunquam eum quieſcere ac reſpirare ſinebat. Mirum enim eſt, quod ipſe de ſe teſtatum reliquit, eum in maxima illius peregrina-

tionis

tionis diuturnitate, cum æquo animo careret patria, parentibus, domo, cognatis, omnibus vitæ bonis commodiſque careret, unam bibliothecam, quam ſibi Romæ labore atque impendio confecerat; ubique ſecum tuliſſe, quod ea carere non poſſet. Obgarriant hic quantum libet, & ſomnia etiam neſcio quæ ſibi confingant nonnulli homines triſtes ac ſuperciliosi, qui, quo ipſi fortaſſe carent, id in aliis damnantes, ſtudia omnia prophana temere improbant, omneſque liberales & philoſophicas diſciplinas prorſus ab Eccleſiaſticis removent. Pluris ſemper apud nos erit Hieronymi opinio, qui &

ſcri-

ſcriptis, & facto ſuo comprobavit, viro Eccleſiaſtico colendam eſſe prophanam etiam litteraturam, ſed modo tamen, ac ratione, ſed ita, ut ab hac aliquando recedendum, & ad graviora, quibus perpetuo inſiſtat, ſibi tranſeundum eſſe arbitretur. Hic quidem erat animus, hoc ſanctiſſimi viri conſilium; prophanæque eruditionis ſcriptores, Poetas, Hiſtoricos, Philoſophos ingenti meditatione non alia de cauſa verſabat, quam quod intelligeret, eorum opibus vehementer excoli & ornari eam divinarum rerum ſcientiam, in qua demum una jamdiu ſtatuerat tota vita immorari. Atque hic, Patres do-

ctiſ-

ctissimi, mirabimurne magis ejus animi modestiam, qua ad hanc rerum sacrarum scientiam accessit, an contentionem ingenii, qua semel arreptam perpetuo coluit & exornavit? utrumque certe prope singulare in Hieronymo fuit; qui, licet divinarum scripturarum studio vehementissime teneretur, suo tamen ingenio, quod aureum Augustinus vocat, ipse diffisus, sibi quæsivit scientissimum ducem, quem tuto per viarum asperrima sequeretur: delectoque Apollinare, qui eo tempore harum rerum doctissimus habebatur, in eundem mox incubuit ita studiose, ut ejus audiendi gratia Antiochia Laodicæam

cæam ſæpiſſime non ſine maximo incommodo deveniret. Magnum inde brevi fructum percepit, ut ipſe fatetur; non tamen ita, ut immenſam diſcendi ſitim extinxerit, & ad ea ſtudia, quæ jamdiu meditabatur, præſidia ſibi omnia comparaſſe exiſtimaverit. Nam, cum optime ſciret, homini ad ſacrarum rerum cognitionem contendenti id in primis eſſe utile, ſi divinæ ſapientiæ oracula ex ipſis fontibus peteret, nihil vehementius optabat, quam ut perfectam hebraicæ linguæ peritiam conſequeretur. Nulla igitur neque moleſtia corporis, neque rei difficultate deterritus ſe in Syriam illico

con-

contulit, regionum omnium maxime aſperam incultamque. Ibi enim, ingenti tractu, vaſta omnia, horrida, exuſta ſolis ardoribus: tum ſerpentes, maleficique generis plura animalia: præterea aquarum ciborumque inopia maxima. Jam vero ferinis pellibus tegi, cubare humi, veluti pecora, herbis pro cibo veſci, aqua uti pro potu, atque alia demum id genus pati; quæ fortiſſimo cuique accidunt ingratiſſima, & intoleranda, ea Hieronymo videbantur blanda in iis locis, ubi divinæ linguæ addiſcendæ facultas ſibi opportuniſſima offerebatur. Huic igitur ſtudio, ſeu potius, ut ipſe vocat,

piſtri-

pistrino totus addictus ; dum litterarum elementa discebat , & stridentia , anhelantiaque verba meditabatur , quid tum laboris insumpserit , quid sustinuerit difficultatis , quoties desperaverit , quoties cessaverit , & contentione discendi rursus inceperit , testem appellat non tam conscientiam suam , quam eorum , qui in desertissima Chalcidis solitudine secum vitam agebant . Sed mox ipse sibi vehementer lætatur , Deoque immortali gratias quam maximas agit , quod * *de amaro semine litterarum dulces tandem fructus cæperit* , illud experientia doctus , studium sacra-

D [illegible] rum

* D. Hierony.

rum ſcripturarum debile & infirmum futurum, niſi hæbraicæ linguæ intelligentia, tanquam fundamento, innitatur. Quid vultis amplius? Palæſtinam, & loca Sancta, & omnem Ægyptum inviſit, illud ſecum animo reputans, quemadmodum Græcorum hiſtorias magis intelligunt, qui Athenas viderint, & tertium Virgilii librum, qui a Troade per Leucaten, & Acroceraunia ad Siciliam, & inde ad oſtia Tiberis navigarint, ita eum ſacram ſcripturam lucidius inſpecturum, qui Judæam oculis contemplatus ſit, & antiquarum urbium memorias, locorumque vel eadem vocabula, vel

muta-

mutata cognoverit . Exigua sane hæc sunt, Patres ornatissimi, si cum iis conferantur, quæ longe plura ac majora studiorum causa Hieronymus egit: inde tamen cuivis colligere facile licet, hanc demum unam Ecclesiastici hominis debere esse oblectationem. & curam, ut libros tractet, ut cum doctis versetur, ut rerum omnium, præcipue vero divinarum, eruditionem acquirat, & in dies augeat. Quod quidem ubi tota vita præstiterit, & eam sibi paraverit doctrinæ scientiæque supellectilem, quam prorsus pulcherrimam & ingentem Hieronymo inesse deprehendimus, num continuo perfecte

cumulateque muneri suo satisfecit? Hieronymus certe negat, simulque nos docet exemplo suo, futuros irritos quoscumque labores nostros, & contentiones inanes, nisi & optimo suscipiantur consilio, & eo, quo intendere debent, referantur. Quid? Tu ne quæstus causa studia colas, eaque tum demum tibi profuisse censeas, cum rem tuam familiarem amplificaverint, ubi videas ab Hieronymo, qui Ecclesiasticorum lumen esse debet, doctrinæ amore opes ingentes deseri, patrimonium amplum relinqui, eoque demum redigi paupertatis & indigentiæ, ut manu ac labore quotidie cibum

sibi

sibi quærere proposuerit ? Tu gloriam expetas, tanquam mercedem laborum tuorum, & oleum atque operam te perdidisse putes, nisi tui nominis fama ubique gentium pervaserit, cum scias Hieronymum nihil magis contempsisse, quam gloriam ? qui, relicta Roma, urbium principe, in tenebris ac silentio totam fere vitam transegit, non alia, ut ait ipse, de causa, quam quod illam ambitionem, potentiam, magnitudinem urbis : illud videre, & videri, salutari, & salutare, audire, & proloqui ab instituta vivendi ratione alienissima esse judicaret. Atqui nemini magis ad hanc laudem, ut

ita dicam, jus erat; quam Hieronymo, omnigenarum artium scientiarumque eruditione ita instructo, ut alii *Sedem sapientiæ*, alii *mundi oraculum*, alii *omnium Catholicorum magistrum*; omnes *maximum Ecclesiæ Doctorem* unanimi consensu, adhuc viventem, declarare non dubitaverint. Nam honores quidem, si voluisset, quis illo facilius consequi potuisset? Ab ultimis pœne dixerim terræ finibus Romam sæpissime evocabatur: consulebatur de gravissimis quæstionibus pro Ecclesiæ utilitate: ejus responsa habebantur, tanquam oracula: omnes passim *sanctum*, omnes *disertum*, omnes *summo*

Sacer-

Sacerdotio dignum censebant : summus ipse Pontifex, Damasus, nihil sibi illo carius, nihil antiquius esse profitebatur . Cuinam apertior esse poterat ad honores via ? Hanc tamen in animo suo ita Hieronymus sibi obstruxerat , ut Paulinus, Antiochiæ Episcopus, cum eum ad sacra suscipienda precibus & labore tandem compulisset , idem tamen non potuerit a latebris removere ejus cellulæ , quam nunquam cum Episcopatu se commutaturum esse dicebat . Nimirum rerum humanarum ambitionem ad veram doctrinæ laudem contendentibus impedimenta potius , quam præmia judicabat . Neque vero a scien-

ſcientiarum fine ac propoſito minus alienum eſſe cenſebat id, quod accidere ſæpe inter homines ſolet, qui videntur eo ſe conſilio in litterarum ſtudia abdere, ut magnificentius extollant res ſuas, aliorum imminuant, ſuperioribus adulentur, perſequantur æquales, omnia denique odio, invidia, obtrectatione permiſceant. Quid, quæſo, hoc turpius, quid homini non dicam Eccleſiaſtico, ſed liberali accidere indignius poteſt? Habuit & Hieronymus adverſarios ſuos, & quidem ita acres & obſtinatos, ut ejus dicta factaque omnia in malam partem detorquerent: eorum tamen impetus, & ictus aut

æquo

æquo animo excepit, aut repulit iis Prophetæ verbis, quæ ſæpius repetebat: *Domine, libera animam meam a labiis iniquis, & lingua doloſa*. Ab arrogantia vero, & ſuperbia, teterrimis litterarum peſtibus, quam vehementer abhorruit? O ſingularem certe ejus animi modeſtiam! atque omni prorſus laude & imitatione digniſſimam! Cum enim inter Syriæ Monachos quæſtio de *Hypoſtaſium* numero vehementiſſime agitaretur, ejuſque de re tota ſententia, veluti litem diremptura, acerrime utrinque exquireretur, licet divinarum rerum ſcientia & ingenio ea tempeſtate aut nemo, aut cer-

te pauci essent cum Hieronymo conferendi, tamen is & diffisus viribus suis, & casum aliquem, aut prolapsionem in tantis rerum angustiis reformidans, assensione cohibita, supplex confugit ad Pontificem Damasum, tanquam ad Oraculum Fidei, verumque rerum divinarum interpretem; eumque obtestatus est per quicquid illi esse poterat cœlo terraque sanctius & augustius, ut, quid sibi sequendum esset, ostenderet, & in hac opinionum varietate dubium hæsitantemque judicio suo confirmaret. Tantum scilicet Hieronymus sibi semper tribuendum putavit, ut, ea qua erat mentis acie

& induſtria , cum omnes, aut pene omnes, Auguſtino teſte, legiſſet, qui ante ipſum de Eccleſiaſtica doctrina ſcripſerunt, tum vero ſcripſerit ad Pammachium, ſe nihil aliud didiciſſe, niſi ſocraticum illud: *ſcio, me nihil ſcire*. Nihil ille ſciebat ad pompam, nihil ad ſpeciem, nihil ad aliorum contemptum, ad calumniam, & convicia nihil; at vero idem, ubi Eccleſiæ utilitas & dignitas poſtularet, nihil neſciebat. En demum vobis, quo ſpectabat Hieronymus: en, quo curas omnes & contentiones ſuas referebat: en, quod omnium maxime, atque adeo unum ſtudiis ſuis Eccleſiaſtici om-

nes ſpectare debent , ut ſcilicet æternæ aliorum ſaluti conſulant , ut Dei cultum tueantur , ut univerſæ Eccleſiæ , cui ſe totos addixerunt , utilitatem & ſplendorem pro virili parte augeant , atque defendant . Quid enim aliud ſibi ſtudioſius faciendum cenſuit Hieronymus ? Ferebat ille quidem æquo animo injurias , quæ ſibi ab aliis inferebantur : famæ ſuæ obtrectatores tacitus patiebatur : ſe paſſim negligi ab omnibus , contemni , proteri non dolebat ; at Deum ipſum peti , at ejus gloriam imminui , & decreta violari , hoc vero ferre non poterat . Senſit id ſuo magno malo ac de-

decore homo moribus & ingenio rudis Helvidius, cum eo devenit temeritatis & audaciæ, ut perpetuam ſanctiſſimæ beatiſſimæque Deiparæ virginitatem publice denegaret. Senſit impurus ille christianorum Epicurus, Jovinianus, ſuamque ingemuit ab illo everſam compreſſamque impudentiam, qua cęlibatum cum nuptiis meritorum pondere & dignitate exæquare, &, quos ſemel baptiſma abluiſſet, eos ab omnibus deinceps communis hoſtis inſidiis atque incurſionibus vindicare conatus eſt. Senſit ipſe Ruffinus, quem, licet Hieronymus ſumma devinctum familiaritate jam ab adoleſcentia teneret

neret, tamen, ubi ille de via decedens in Origenis ſententiam conceſſit, non modo ſtatim deſeruit, ſed ſcriptis etiam afflixit, tanquam inimicum, declaravitque exemplo ſuo, Eccleſiaſticam veritatem ceteris rebus omnibus ab Eccleſiaſtico homine eſſe anteferendam. Quid multa? Cum promiſcue hoſtes ſuos judicaret, quicumque fieri hoſtes Eccleſiæ voluerunt, ad illorum peſtem ac perniciem eloquentiam ſuam omnem convertit, & qua voce, qua ſcriptis, modo privatim, modo publice ſceleratiſſimas eorumdem mentes ita exagitavit, ut nuſquam conſiſtere paſſus fuerit. Fremebant

bant ii quidem, sibilabant, tanquam hydræ, incendia ubique jactabant: non tamen evicerunt, ut ejus linguæ frænum injicerent; qua etiam evulsa, profitebatur se fore adhuc declamaturum, quod magis Ecclesiæ bono provocaretur ad dicendum, quam illorum conviciis, & odio deterreretur. Quid enim, quæso, integrum intentatumque reliquerunt, quo a sacris Libris ex hebraica in latinam linguam vertendis Hieronymum revocarent? Jam alii lacerare passim, ac traducere per ora hominum, tanquam malevolum totius censorem antiquitatis; alii nova ab illo ajebant, pessi-

mo exemplo , agitari in Ecclesia ; alii , eripi ab eodem fidelibus arma, quæ fere omnes tractare commode poterant , eaque suppeditari , quæ aut uni Hieronymo , aut certe paucis tunc temporis usui esse posse videbantur . Quin eo nonnulli invidiæ & malevolentiæ devenere , ut Hieronymi nomine litteras confingerent , quibus summo cum dolore profitebatur , se , cum esset adhuc adolescens , Hæbræis potissimum auctoribus , transtulisse in latinum volumina hæbraica ; quæ demum cum diu diligenterque in omnem partem excusisset , tum vero iis nihil inesse veri atque certi clare aperteque

de-

deprehenderat. Quid, quæso, improbius, quid excogitari damnosius in Hieronymum potest? Nihil tamen ille commotus neque invidorum obtrectationibus, neque malevolorum calumniis, incæptum opus animose ac naviter urget; quod probe intelligebat, nihil Ecclesiæ, quam unam maxime intuebatur, utilius posse contingere, quam *antiquam divinorum voluminum viam sentibus virgultisque purgari*. Exitus rem probavit; idque optime vidit non multo post ipse Augustinus, qui in hoc ab Hieronymo aliquando dissenserat, vehementerque mox approbans, quod prius improbaverat, & ejus Transla-

lationem *Hæbräicam veritatem* appellavit, & asseruit, a quibusdam Episcopis incæptam esse passim tota Africa legi. Vidit Isidorus, qui, sæculis vix duobus elapsis, testatus est, eam, tanquam & sententiarum & verborum fide omnium præstantissimam ab omnibus ubique Latinis Ecclesiis fuisse receptam. Vidit demum, hodieque universa videt Ecclesia, quæ maximos inde animos sumit, & ejus translationum fidelitate contra hæreticorum perfidiam se egregie munitam esse summa cum voluptate deprehendit. Quid porro hic reliquos ejus libros commemorem, numero pœne infinitos,

do-

doctrina insignes, ac prope singulares? Quid illa ingentia volumina, pietatis sanctitatisque plenissima? Quid epistolas ex horrido illo ferarum domicilio in omnem terrarum orbem dimissas, quæ alios a vitiis abstrahunt, alios ad virtutes inflammant? Quam hæc toti Ecclesiæ utilia! quantum illi addunt dignitatis ac splendoris! quantum roboris & firmitatis ad reprimendos furores hostium suorum, quos semper plurimos & vigilantissimos habuit! Quid plura persequar, quę Ecclesiæ ex Hięronymi studiis fausta ac felicia evenerunt? cum ea & immensa prope sint, & longe me-

lius

lius, quam a me dici possint, perspiciantur a vobis, qui, cum egregia ingenii & scientiæ laude præditi sitis, tum ex instituti vestri ratione omnia ejus vere aurea ac divina scripta assidua meditatione pervolutatis. Pergite igitur, ut facitis, Patres ornatissimi, & ea studia, quæ vobis necessario tractanda sunt, ad hanc regulam conformate: recolite subinde memoria vestra, quod ipse Hieronymus ad Paulam & Eustochium scribebat, enixeque Deum cum eodem precaminor, ut, *quamdiu estis in hoc corpusculo, scribatis semper aliquid gratum præsentibus, dignum posteris; utile Ecclesiæ.*

clesiæ . Postulat id á vobis & vitæ vestræ suscepta ratio, & exemplar viri sanctissimi, cujus tutelæ ac patrocinio vos vestraque jampridem commendastis. Postulat, si quid præsentius quæritis, & viam etiam, quæ illuc ducit, commonstrat exemplo suo amantissimus & vigilantissimus * Episcopus Noster, quem per hosce dies summo Ecclesiasticæ dignitatis splendore auctum ornatumque incredibili totius Urbis lætitia & acclamatione videmus. Non illum huc cujusquam favor, aut gratia, sed

* Scilicet SANCTES VERONESIUS tunc Cardinalis creatus; Eundem modo sibi ereptum luget tota Patavina Ecclesia, quam doctissime & sanctissime rexit.

ſed inſignis doctrina , ſed ſolida pietas, ac religio , ſed integerrimi mores, Clementi XIII. jamdiu noti & perſpecti , nihil tale petentem compulerunt. Scilicet æquum erat, ut, qui jam pridem virtutum laude eminebat , emineret etiam dignitate . Faxit nunc Deus Optimus Maximus , ut quem exoptatum nobis conceſſit , eundem diu ſoſpitet , ac ſalvum velit, ad ſui gregis utilitatem , ad Eccleſiæ Patavinæ ornamentum , ad ipſius ſummi Pontificis gaudium atque lætitiam. Dicebam.

F I N I S.



PATAVII, MDCCLXVII.
Ex Typographia Vulpiana.